



B. 191.

20.

# ELOGIVM TOBIAE MAYERI

REG. SOC. SC. GOTT. SODALIS CLASS. MATH.  
ACADEMIAE BONONIENSIS SOCII

---

IN CONSESSV SOCIETATIS SCIENTIARVM  
DIE XIII MARTII A. AER. CHRIST. CICCCCLXII

L E G I T

ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER

MATH. ET PHYS. P. P. O. GOTTINGENS.  
SOC. REG. SC. GOTTING. CLASS. MATH. SODALIS ET  
SECRETARIUS ACADD. REGG. SC. SVEC. ET PRVSS.  
ACAD. ELECT. SCIENT. VTL. ERFORDINAE INSTITVTI  
BONONIENS. ACAD. AVG. PERVS. SOCC. REGIAE  
THEOTISCAE GOTTINGENS. THEOTISCAE ITEM  
LIBE. ART. LIPSIENSIVM LATINAЕ ET THEOTISCAE  
GENENSIVM SOCIVS

J D A

124



---

GOTTINGAE  
EX OFFICINA SCHVLZIANA Curante F. A. ROSENBUSCH 1762

*H. Käfer*

IN VISIONE  
MAGISTER MAYERI  
TE MARIS ET TERRAE ET MAGNI SINE LIMITE COELI  
MENSOREM COHIBENT MAYERE  
PVLVERIS EXIGVI PROPE CLAVSVM PARVULA TEMPLVM  
MVNERA NEC QVIDQVAM TIBI PRODEST  
REXISSE ERRANTEM LVNAM MOVISSEQVE SVMMO  
SIDERA FIXA POLO MORITVRO

QVOD NAVTA HORATIANVS CINERIEVS  
ARCHYTAE FECERAT IDEM MAYERI  
MEMORIAE FACIENS SCRIB.

A. G. K.



## MONITVM.

*In Elogio quod optabam ut dignum esset Mayero  
& auditoribus, locum dare nollebam minutae anno-  
rum, dierum, nominumque commemorationi, &  
aliis, quae sollicite conquisturus esset, & prolixius  
quam vel ipsa eius quem laudaret inuenta exposi-  
turus, aliquis ex numero litteratorum, omnia de  
eruditis, praeterquam ea quae ad eruditionem per-  
tinent, nimia & misera diligentia enarrantium.  
Tamen, ne haec omnino desiderentur, potiora, quae  
desperabam tractata ab oratore nitescere posse, iam  
ad calcem paginarum subieci, scriptorum catalo-  
gum iphi elogio.*

A 2

Non-

Nondum coaluit vulnus, societati nuper Gesneri morte infictum; cum nouo derepente sauciatur. Mayeri, non amplius nostri, fatum me loqui, intelligitis auditores, intelligeret, si ab eo vniuerso audirer, orbis eruditus. Est enim hoc aliquod veluti doloris nostri lenimentum, (esset certe, si diuisus inter plures dolor, minus a singulis sentiretur,) quod vterque hic luctus, non tam noster est, quam omnis reipublicae litterariae. De Gesneri quidem laudibus, si. vel temporis ratio permitteret, vel virium sine-  
ret tenuitas, peruellem ego dicere, qui non in exigua felicitatis meae parte repono, quod viri de me puero conceptam spem, iuuenis non penitus sefellerim, sene vero, collega & amico sim gauifus. Sed, in antiqua eruditione sumnum, magnum in recentiore, philosophum, poetam, studiorum quae nimis tetrica philologis plerumque videntur, geometriae & physicae, aequum aestimatorem, vt pote peritum, Germaniae praceptorē, cultioris Europae omnis oraculum, alli doctius me celebrabunt, aut, etiam si nostri id omittant, saeculis elaphis, posteri Gesnero tribuent quod nos Melanchthonis memoriae dari vidimus: a me credo auditores, minus indigna tempore vestro, de mathematico vos exspectaturos.

Nasci Mayerum vidit, eadem Germaniae regio, cui cum tot magnis ingenii, Keplerum debemus, Wurtembergia, anno vicefimo tertio huius saeculi (\*), in Marpa-  
ci (\*\*) oppido, patre honesto ciue, qui ob singularem a-  
qua-

(\*) D. 17. Februarii.

(\*\*) Ipse Marbach scripsit. Apud Büschingum Marbach legitur.

quarum ducendarum peritiam, inde Ellingam quae imperii vrbs est euocatus, rei aquariae praefectus obiit. Igitur ingenitum quoddam nostro studium videtur, scientiae illius quae vires motusque metitur, ad usum humanos transferendae, diagrammata certe patris, & machinarum descriptiones, pingendi ardorem in quadrimo excitasse, post illum hic non referrem, nisi hinc intelligeretur, quomodo, oculo manuque inde ab infantia exercitatis, illam delineationum adornandarum facultatem consequutus sit, qua rarius profundiores mathematici celebrantur.

Tunc cum illo pingendi studio infans teneretur, Christi cruci adfixi imaginem forte sibi oblatam, tentando saepè rem, ac periclitando, tandem non plane intolerabiliter expressit. Hac re & laudem consequutus est, & maius quidam, nam historiae ad quam pertineret pictura noſcen-  
dae curiosus, sacrum codicem auide legit. Ita vero memorat se primum boni malique discriminem agnouisse, vir-  
tutique vel tenerrimis mentibus instillandae idoneum hunc librum praedicat, eiusque auctori gratias agit, quod alioquin deterior multo futurus fuisset. Hacc, ex vi-  
tae historia, quam olim inchoauit, sed ultra sextum aeta-  
tis annum non continuauit, adferenda credidi, quoniam de religione sententias continent bene se habentis, &  
mortem e longinquō spectantis, non illas, quas christiano-  
rum aliquibus exprimit, qui gentium deos fecerat, timor.

Quam varii casus puerum patre orbatum agita-  
rint, enarrarem nisi tot alia supereffent. Igitur quo in  
breuitatem omnia contraham, matheſeos elementa ex li-

bris, quales fors obtulerat, proprio marte in loco vbi de-  
erant doctores, edidicit, praxium mathematicarum usus  
aliis impertit, emolumentum inde ad se redundare sensit,  
quoniam vulgus scientias ut amicitias utilitate probat.  
Hic substituti erant multi, qui praticos mathematicos se  
profitentur, Mayerus vidit, praxin quae vulgari theoria  
ut cunque firmatur, profundiore, liberandam esse a nauis,  
& perficiendam. Hinc, & artem inueniendi mathematicam,  
quantamcunque nostro aeuo reddiderunt summa ingenia,  
animo est complexus, & feliciter ad praxin translulit.

In hoc autem geometrico puluere dum versaretur,  
litteras humaniores non neglexit. Quarum, ipsiusque poeticae facultatis, etiam si seuerioribus studiis ma-  
xime ducantur, hunc tamen usum esse recte iudicavit, vt  
ipsa illa quae subtiliter differenda sunt, polite apteque di-  
cantur, aliqua etiam ornata & splendide. Latine scripsisse  
Mayerum & eleganter, in laudibus forte ponit potest  
viri, qui academiam non prius adiit quam ibi docturus,  
in laudibus certe mathematici ponetur ab illis, qui quo-  
niam aliquos e triuio mathematicos, squalidius scribere  
vident, summorum vix nomina norunt, barbariem ma-  
thematicorum propriam esse existimant, perinde ac si Iu-  
risconsultorum humanitatem, ex illis qui litigandi artem  
vnice callent aestimares. Idem, sciant, Mayero insigni-  
ter Ouidii de mutatis in noua corpora formis carmen pla-  
cuisse, cuius partem etiam vertit, metro usus, quo epicum  
romanorum imitari se nostri iam credunt, Mayero  
certe ea res felicius cessit quam aliis multis. Legeritne  
vero cum sensu aliquo pulchri poemata, ex hac eius sen-  
tentia

tentia intelligetur: poetas veteres, exigua & falsa sae-  
pius quam habebant naturae cognitione, felicissime vlos;  
nostros, ornatum omnem fere, quem petere possent a pa-  
tēfacta magis naturae maiestate, negligere. Nempe, re-  
spondi illi, cum haec mihi diceret, olim poetae philo-  
phi erant, nostri ephebi, qui anacreontica balbutiunt, aut  
hexametros mugunt, nihil naturae norunt, praeter vi-  
num & puellas.

De vitae genere cui prouidentia diuina destinabat  
Mayerum, tam parum ille tunc cogitauit, vt pyroboli-  
cae studiosus, totum se bellicis artibus tradere decre-  
uerit, multo minus credo celebritatis habiturus, si hoc  
tempore, quo in sua viscera, ne vietrici quidem dex-  
tra Germania saeuit, a republica quadam ad exercitum  
imperii missus balistarius occubuisset. Anno aetatis  
vndeicesimo, studiorum primitias, quas ipse vocauit,  
edidit, de curuarum vſu in problematibus geometricis  
conſtruendis; anno saeculi 45; Atlantem mathematicum  
quo plura & profundiora quam solent in compendiis vul-  
garibus doceri, picturis elegantibus explicauit. Sequenti  
anno Noribergam venit, in tabulis e quibus pictos edi-  
scimus mundos, vniuersaque geographia emendandis oc-  
cupatus, amicoque vſus Celeb. Lowitzio, qui vnuſ iam  
possit quod detrimenti Mayeri morte accepimus, sarcire.  
Academia Bononiensis fodalem adſciuit, ipſe inter eos  
fuit, cum quibus Franzius societatem cosmographicam  
inſtituerat. Gottingam inde ab anno ſacculi quinqueage-  
ſimo primo ornauit; studiorum quidem vniuersitatem  
docendo quaecunque ad matheſin pertinent, societatem  
vero scientiarum, eadem augendo.

vero

Quae augmenta doctrinis his ab eius ingenio accesserint  
sigillatim recensere longum esset, poterant enim, qui viro  
in vitam computantur anni, ineuptis numerari. Igitur de  
palmariis in capita redactis summatis dicam. Angulis in  
campo accuratius & commodius dimetiendis, instrumenta  
plura excogitauit, illaque re insignem gratiam iniuit ab iis  
omnibus quorum praxis geometrica, latius se quam ad  
agrum rustici cuiusdam a vicino disternendum exten-  
dit. Supereesse vel in ipsa geometria elementari, quae  
inueniri possint, & inuenta visum praestare, figurarum re-  
ctilinearum facili in triangula transmutatione monstrauit.  
Errorum, qui in geometria practica & alibi committi  
possunt fontes & mensuras, subtili in visus aciem inqui-  
sitione ostendit. Aeris refractio, quantum obiecta ter-  
restria spectantem falleret inuestigauit.

Habent etiam, pro quo Mayero gratias agant, qui  
honesta illa voluptate tabularum coloribus distinguarum  
ducuntur. Colorum enim, quibus ars pictoria vtitur,  
tres esse primarios ostendit, & quot ex binis aut ternis  
primiorum varia ratione mixtis nascantur computauit,  
monstrans, quomodo pigmenta quae visu teruntur, ad clas-  
ses, vires illorum tingendi ad mensuram, possint reuocari.  
Artificii vero quo picturae datae ecltypa multiplicantur,  
specimen exhibuit, arte ipsa celata.

Horum aliqua si satis essent ad memoriam viri poste-  
ris commendandam, poterat tamen illis omnibus carere,  
astrorum consultus, securusque nominis cum Luna dura-  
turi.

turi. Non temere Lunam dixi, auditores, quae secreta sua, Mayero, velut nouo Endymioni, videtur reuelasse. Vel ipsam lunae faciem accuratius descripsit, meritus profecto, ut inter illos quibus agros in Luna disperitus est Ricciolius, quoniam plerumque nihil in terra possident coeli mensores, Mayerus etiam nobis splendeat. Motus autem quibus terrae fœcia agitur, legibus subiectare, difficillimum semper visum est astronomis, indignantibus, maxime ignorari proximum nobis sidus, quasi vel hoc suo exemplo praeiret, illi quem in terra regit sexui. Hic superauit omnes Mayerus, tabulas condendo, inter quas & obseruationes vix tantum discriminis intercedit, quantum inter obseruationes ipsas intercedere solet. His autem conatibus ad explicandum magnum illud de longitudine maris problema, proprius vlo aliorum videtur accessisse. Notum vero est, motus lunae qui perturbati apparent, mutuis, solis, terrae, lunaeque actionibus regi, adeoque ad celebrem illam de tribus corporibus quæstionem redire, cuius resolutiones computis idoneas qui repeatit, is, nostro aeuo, ad summum coelestis physicae apicem enixus iudicatur.

Antiqui, lunam, sordibus velut terrae, ob vicinitatem commaculatam crediderunt, recentiores, in luna lacus, & atmosphaeram, & ipsa fulgura viderunt, Mayerus, non adeo similem esse lunam terrae, & si circumfundatur lunae aer, tenuissimum, purissimumque circumfundi perfusit. Ceterum, intra angustos hos orbitas lunaris carceres contineri noluit, Martem, quem primo Keplerus theoria sua elliptica domuerat, arctioribus vinculis con-

B

strin-

strinxit, Fixarum loca accuratius definiuit, tuncque reperit propriis illas motibus cieri, neque fixas esse. Ultimo vitae tempore in magnete animum occupauit, cuius viribus leges tulit, notis veriores, declinationis vero theoriam condidit simpliciorem, & cui subiicerentur ipsae inclinationes, parum hucusque theoriae obedientes. Quem eius velut cygneum cantum, initio huius anni societas scientiarum audiuit.

Haec cum biduum superuixisset natali unde quadragesimo, fecerat Mayerus, (\*) iudicatae Auditores, quae fuisset effecturus si ad Halleii senectutem peruenisset. Halleium autem dum nomino, videor mihi videre, si flices animae de terrenis suis studiis, ut viri interdum de infantiae lusibus colloquantur, videor inquam mihi videare, Mayerum Halleio, de Veneris sub Sole transitu cometaeque reditu referentem.

Vitam viri, vobis praelegere auditores, in animo nobis non fuit, sed imaginem depingere, qua, ut Themistocles olim Miltiadis trophyis, turbari quietem suam sentiat, iuuenis quidam egregiae indolis, Mayerumque aliquando nobis reddat. Igitur non longus ero in reconsendis iis, quae communia habet cum plurimis, ut, quod eo tempore quo Gottingam venit, coniugium inierit, et si & hic contigerit ipsi quod non omnibus contingit, vxor ex animi sententia, (\*\*) confortiique felicitas, non nisi

(\*) Mortuus d. 20. Februarii anni 1762, humatus 23, prope templum St. Albani, iam, quod granarium est, clausum.

(\*\*) Maria Victoria, Gn̄ggi, verbi diuini quandam apud Bischofshainenses in Crichtgouia, primaria ministri, filia.

nisi fato illo turbata, quod suis maritum patre inque rapuit. (\*) Neque letalis morbi historiam a me exspectate auditores, quem crediderim, inde a longa & lenta tabe, in illam magnitudinem excreuisse, ut prostratas omnes vires sentiens aeger, insigni animi constantia imminenter sibi mortem spectaret, etiam cum nobis, spes non exigua supereret.

De me certe fateor, spem eius quod vehementer optabam, difficulter me eripi mihi passum. Amicitiam meam in precio illi fuisse, insigni mihi honori semper ducam, eoque magis, quod inter doctores eiusdem academie, studiorum communitatem, amicitiae vincula arctius contrahere, rarius est, quam esse deberet, laborantque eruditii saepius figurorum morbo, etiam vbi aduersus tormentum quo sicuti tyranni maius non inuenire, tueri eos poterat Maecenatum in vniuersos munificentia. Ego vero, vix quopiam intimius vslus, nisi qui ingenio scientiaque excelleret, voluptate ad lacrymas prona, illorum fere omnium tantum recordor, & a quibus plurima doceri debere genus humanum arbitrabar, eos coelites suspicio.

Mayeri iacturam, in primis doleo Germaniae nomine, orbis recentioris in doctrina coelesti omni magistræ. Non longum Astronomorum Germanorum texam catalogum; Non appellabo Cusani, Purbachii, Regiomontani, Apiani, illa illustriora omnibus exteris nomina, postquam orientalis Graecia victorem Romanis magis fe-

B 2

rum

(\*) Filiis duobus, totidemque filiabus, illis iunioribus, Filio nata maximo annorum 10.

rum fugiens, artes intulit, agresti prae schola stica subtilitate Europac, & hoc migrauit cum sororibus Vrania. Ut duobus verbis, quod proposui efficiam: Qualis esset Astronomia, nisi verum mundi ordinem Copernicus docuissest, motuum coelestium leges Keplerus? Ab his, vereae astronomiae principia, qui trans Alpes, trans Rheenum habitant, qui mari a toto orbe seiunguntur, didicere omnes. Chaldaeis, pro Astronomia ab illis accepta hanc gratiam retulerunt veteres Graeci, vt barbaros illos appellarent: Quod, ne Germanis contingat, ab illo populo, cui nostro tempore ingenium Musa dedit, & ore rotundo loqui, non nisi Mayeri similes poterunt cauere.



SCRI-

**SCRIPTORVM MAYERI  
CATALOGVS**

*Separatim edita*

**N**eue und allgemeine Art alle Aufgaben aus der Geometrie vermittelst der geometrischen Linien aufzulösen &c. Als Eßlinge ans Licht ge stellt von Tobias Mayer, Math. Cult. Eßlingen 1741; 8vo.

Mathematischer Atlas, in welchem auf 60 Tabellen alle Theile der Mathematik vor gestellet werden. Augsp. 1748. fol.

Bericht von den Mondskugeln welche bey der Kosmographischen Gesellschaft in Nürnberg aus neuen Beobachtungen versertiget werden. 1750. 4.

Programma de refractionibus obiector. terrestrium quo simul lectiones suas indicavit. Gott. 1751.

\*\*\*\*\*

Tabulas geographicas quas delineauit recensere longum esset.  
Vnicam nominasse sufficiat, Germaniae criticam, qua quantum adhuc in Germaniae descriptione desideretur ostendit, locis, quorum positus debite definiri possit adeo raris, vt antiquam illam Taciti Germaniam, non hodiernam, quae placet etiam quibus non est patria, pictam te videre existimes.

In Volumine quod unicum est commentariorum societatis Cosmographicae, ad annum 1748 pertinente 1750 edito  
(Kosmographische Nachrichten und Sammlungen.)

Beschreibung eines neuen Mikrometers  
(noui micrometri descriptio.)

Beobachtung der Sonnenfinsterniß 1748.  
(obseruatio Eclipsis Solaris 1748.)

B 3

B 3

Beobachtungen einiger Zusammenkünste des Mondes mit Fixsternen 1747, 1748.

(Fixarum & lunae coniunctiones 1747; 1748 obseruatae)  
Abhandlung über die Ummäzung des Mondes um seine Axe, und  
die scheinbare Bewegung der Mondflecken worinnen der Grund  
einer verbesserten Mondbeschreibung aus neuen Beobachtungen  
gelegt wird. Erster Theil

(Dissertationis de lunae circa axem suum revolutione, macula-  
rumque lunarium motu apparente, qua selenographiae nouis  
obseruationibus emendatae fundamento sternuntur Pars I.)

Beweis daß der Mond keinen Luftkreis habe.  
(Lunae atmosphaeram esse nullam.)

In collectionibus vitilibus Hannoveranis

Hannov. nügl. Sammlungen.

Terra motus, ex mutata gravitatis direccione explicatus.

Götting. g. A. 1756. p. 316.

Dissertationes exhibitae Societati

Regiae scient. Gottingensi.

1. Latitudo Noribergae. Comm. T. I. ann. 1751.
2. Obseruationes astronomicae Noribergenses ibid.
3. In parallaxin Lunae eiusque a terra distantiam inquisitio Comm. T. II. ann. 1752.
4. Noua methodus perficiendi instrumenta geometrica, & nouum instrumentum goniometricum. ib.
5. Nouae Tabulae motuum Solis & Lunae ib.
6. Tabularum Lunarium in Tomo II. Comm. S. R. contentarum vlus in inuestiganda longitudine maris 1753. Comm. T. III.
7. Obseruationes astron. 1753. Gottingae habitae, ib.
8. Experimenta circa visus aciem. 1754. Comm. T. III.

Nondum editae.

1755.

De refractionibus astronomicis,

De

De transmutatione figurar. rectilinearum in triangula.

Gött. gel. An. 1755. 29 St.

De innestigandis legibus variationum thermometri ea methodo,  
qua astronomi ad motuum coelestium inaequalitates cognoscendas vtuntur.

Item obseruationes astronomicae.

G. g. U. 1755. 103 St.

1756.

De motu Martis, a Iouis Terraequa attractione turbato.

G. g. U. 1756. 50 St.

Quadrantis muralis obseruatorii Gottingensis rectificationes, &  
obseruationes ope illius institutae.

G. g. U. 1757. 110 St.

1757.

Methodus eclipses solares computandi.

G. g. U. 1757. 110 St.

1758.

Colorum ex pigmentis commixtis oriundorum computatio.

G. g. U. 1758. 147 St.

1759.

Nouus fixarum catalogus.

G. g. U. 1759. p. 401.

Artis qua picturae datae ectypa multiplicantur specimen exhibitum.

ib. p. 402.

Instrumenti goniometrici quod Astrolabium vocant structura emendatoria

ib. p. 993.

1760.

1760.

De fixarum quarundam motu proprio.

G. g. A. 1760. p. 73.

Theoria magnetica.

ib. p. 633.

1762.

Computus declinationum & inclinationum magneticarum, ex  
theoria nuper exhibita deductus.

G. g. A. 1762.



Nr 113.  
S. 80



n. 5.





B.I.G.

Black

18

19

20

7

6

5

4

3

2

1

.3

.2

.1

.0

Farbkarte #13



Centimetres

Blue

Cyan

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

# ELOGIVM TOBIAE MAYERI

REG. SOC. SC. GOT. SODALIS CLASS. MATH.  
ACADEMIAE BONONIENSIS SOCII

IN CONSESSV SOCIETATIS SCIENTIARVM  
DIE XIII MARTII A. AER. CHRIST. CICICCLXII

LEGIT

ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER

MATH. ET PHYS. P. P. O. GOTTINGENS.

SOC. REG. SC. GOTTING. CLASS. MATH. SODALIS ET  
SECRETARIVS ACADD. REGG. SC. SVEC. ET PRVSS.

ACAD. ELECT. SCIENT. VTL. ERFORDINAE INSTITVTI  
BONONIENS. ACAD. AVG. PER VS. SOCC. REGIAE  
THEOTISCAE GOTTINGENS. THEOTISCAE ITEM  
LIEB. ART. LIPSIENSIVM LATINAЕ ET THEOTISCAE  
IENENSIVM SOCIVS



GOTTINGAE

EX OFFICINA SCHVLZIANA Curante F. A. ROSENBVSCHE 1762

H. Kippe